



non placet 5, *placet iuxta modum* (nullum) 1. Suffragatio II (306): praesentes votantes 2224, *placet* 2205, *non placet* 18, *placet iuxta modum* (nullum) 1. Suffragatio III (307): praesentes votantes 2206, *placet* 2185, *non placet* 19, *placet iuxta modum* (nulla) 2. Suffragatio IV (308): praesentes votantes 2130, *placet* 1904, *non placet* 8, *placet iuxta modum* 213, vota nulla 5. Suffragatio V (309): praesentes votantes 2034, *placet* 2025, *non placet* 9. Suffragatio VI (310): praesentes votantes 2077, *placet* 2068, *non placet* 8, votum nullum 1.

Intimata proxima congregatione generali sequenti die, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio clausa est hora 12,36.

CXXXV

Congregatio generalis centesima trigesima quinta habita est die 24 septembris 1965, feria VI, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2182 Patres, nempe 75 cardinales, 3 patriarchae, 8 primates, 336 archiepiscopi, 1610 episcopi, 11 abbates nullius, 16 praelati nullius, 40 praefecti apostolici, 83 superiores generales.

Missa de feria VI Quattuor Temporum septembris, ritu romano, celebrata est ab exc.mo P. D. Ioanne Francisco Janssen, ep. tit. Coelianensi, vic. ap. Gimmaensi in Aethiopia. Cantus exsecutus est Chorus Cappellae Sixtinae.

Altari inservivit Pontificium Collegium Brasilianum.

S. Evangelii codex super paratum thronum positus fuit ab exc.mo P. D. Maria Yemmeru Asrate, arch. Neanthopolitano in Aethiopia.

Intimato a secretario generali *Exeant omnes*, Patres recitaverunt preces *Adsumus...*

Dein secretarius generalis, proclamato nomine moderatoris huius congregationis em.mi card. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, obitum annuntiavit exc.morum DD. Ioseph Ferche, ep. tit. Vinnensis, aux. Coloniensis, et Alphridi Caselle, ep. tit. Lugurensis, aux. Melphensis, qui erat episcopus electus sed nondum consecratus. Em.mus card. Tisserant cum Patribus recitat *De profundis* cum oratione.

Tunc secretarius generalis proponit pro dominica proxima, die natali Summi Pontificis, telegramma eidem mittendum, quod legit et quod plausu excipitur.

Dein communicat exitum ultimae suffragationis heri factae super quaesitum ut transeat ad discutienda singula capita schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* (311): praesentes votantes 2157, *placet* 2111, *non placet* 44, *placet iuxta modum* (nullum) 1, votum nullum 1.

Et legit nomina Patrum qui verbum facere petierunt circa prooemium, introductionem et primam partem, et ad loquendum vocati sunt ex ordine em.mi PP. DD. cardd. Ioseph Frings, arch. Coloniensis, cuius textum tamen legit secretarius generalis; Hermannus Volk, ep. Moguntinus; exc.mi PP.DD. Ioseph Marafini, ep. Verulanus-Frusinatis, Leo Arturus Elchinger, ep. tit. Antandrinus, coad. Argentoratensis, Andreas Charue, ep. Namurcensis.

Dein fit transitus ad discussionem diversorum capitum primae partis *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Ad loquendum vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Paulus Petrus Meouchi, patr. Antiochenus Maronitarum, Paulus Richaud, arch. Burdigalensis, Rufinus Santos, arch. Manilensis, Franciscus Šeper, arch. Zagrabienensis et exc.mi PP. DD. Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum, Petrus Cantero Quadrado, arch. Caesaraugustanus.

Tunc secretarius generalis communicat obitum exc.mi D. Francisci Ioseph Tief, ep. tit. Niseni in Lycia, olim ep. Concordiensis; et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant, decanus, recitat *De profundis* cum oratione.

Interea peractae sunt suffragationes VII-XIV (312-319) *de apostolatu laicorum*. En exitus: VII (312): praesentes votantes 2171, *placet* 2163, *non placet* 8; VIII (313) de integro cap. II: praesentes votantes 2167, *placet* 1975, *non placet* 2, *placet iuxta modum* 190; IX (314): praesentes votantes 2172, *placet* 2161, *non placet* 8, *placet iuxta modum* (nulla) 2, votum nullum 1; X (315): praesentes votantes 2162, *placet* 2145, *non placet* 14, *placet iuxta modum* (nullum) 1, vota nulla 2; XI (316): praesentes votantes: 2073, *placet* 2065, *non placet* 6, *placet iuxta modum* (nullum) 1, votum nullum 1; XII (317) de integro cap. III: praesentes votantes 2023, *placet* 1707, *non placet* 4, *placet iuxta modum* 311, votum nullum 1; XIII (318): praesentes votantes 1975, *placet* 1972, *non placet* 3.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti feria II, hora 9, habenda, repositus est S. Evangelii codex, et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,25.

CXXXVI

Congregatio generalis centesima trigesima sexta habita est die 27 septembris 1965, feria II, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2143 Patres, nempe 75 cardinales, 4 patriarchae, 7 primates, 324 archiepiscopi, 1592 episcopi, 10 abbates nullius, 15 praelati nullius, 38 praefecti apostolici, 78 superiores generales.